



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De Sacramento Ordinis instructio pro Pastoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761



DE SACRAMENTO ORDINIS IN-

structio.

I.



Vanquam sacros ordines conferre Episcopis ex officio incumbit, docere tamen, quo affectu ad eos sit progrediendum, quæ scientia ad cuiusque munia exequenda requiratur, qui mores quemque deceant, quæ denique ætas cuique suscipiendo sit præfinita, Parochi sui

*De Ordinis
Sac. quæ
Pastores
do. ete de-
beant.*

1.
2.
3.
4.

muneris esse putabunt.

II. Monebunt eos, qui ad Ecclesiasticos ordines aspirant unumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, nisi ab executione ordinis, quem ab alieno Episcopo accepit, suspendi velit.

*Ordines à
quo Epi-
scopo acci-
piendi.
Concil. Trid.
sess. 23. c. 22*

III. Hortabuntur in super ut testimonia suorum Pastorum aut aliorum, quibus id ab Episcopo commissum fuit, secum adferant, ex quibus per examinatores discussis constare possit; sintne tales quibus tutò manus imponi possint.

*Ordinandi
adferent
litteras te-
stimonia-
les.*

*Stat. Adol-
phi med. z.
pag. 432.*

IV. Quæ quidem testimonia quo sint certiora, & ad fidem faciendam efficaciora, Pastores quam primum resciverint, suorum aliquem sacris initiari velle, statim nomen eius atque desiderium trina proclamatione publicè in templo denunciabunt, de natalibus, ætate, moribus & vita à

*Ordinandi
à Pastoribus
procla-
mandi.
Concil. Trid.
sess. 23. ca. 50*

T 3

fide

Concilium
Diocesannm
Colon. sub
Adolpho
III. statuto.
fol. 432.

fide dignis fideliter inquirent, & testimoniales litteras ipsam inquisitionem factam continentes ordinando ad Episcopum perferendas tradent.

Qui ordinum suscipiendorum non sint capaces.

V. Atque hæ denunciationes ne fructu suo careant, non satis habebunt eas vtcunq; fecisse; verum etiam quandoque eodem tempore populo explicabunt, quinam secundum canonum sanctiones ordinum suscipiendorum non sint capaces. Sunt autem hi: Spurij & quicumque non sunt ex legitimis nuptijs procreati; infra debitam, & à sacris canonibus præscriptam ætatem constituti; Bigami; Ignari eorum, quæ ad ordinem quem petunt, requiruntur; Furiosi; serui, qui in aliena sunt potestate; Insigni aliqua corporis mutilatione deformati; Epileptici, seu comitiali morbo obnoxij; Arreptitij; Energumeni; leprosi; de industria hominem mutilantes; occidentes, aut quouis modo ijs cooperantes effectu subsecuto; Hæretici; Vsurarij alijque criminosi, suspensi, interdicti, excommunicati.

Pastores ordinandos monebunt, vt se bene disponant. Stat. Concil. Prouinc. Anno 1536. cap. 26. Catech. Roman. de sacram. ord. cap. 6. Pastores populum, vt pro initiandis præcetur, hortabuntur. Catechism. Rom. ibid.

VI. Commonefacient præterea sacris initiandos, vt per poenitentiam sacramentum, conscientiam diligenter purgent, sacrosanctam Eucharistiam humili atque contrito corde suscipiant, ne in peccatis perseuerantes gratiam, quæ per hoc sacramentum, ad singulorum ordinum functiones dignè obeundas confertur, obicem ponant.

VII. Quin & populum Dominico die ordinationem proximè antecedente diligenter admonebunt, vt ieiunijs iam inde ab initio nascentis Ecclesie in hunc finem indigetis, nec non ardentibus votis atq; precibus, tales à Deo re-

rum

rum sacrarum Antistites impetrent, qui tantum ministerium rectè & ex Ecclesiæ utilitate subire possint, & velint.



DE SACRAMENTO MATRIMONII, ET primò de sponsalibus, futuri coniugij notæ.

I.



Voniam ardua res est matrimonium, in quo vir & mulier ita colligantur, ut nulla de causa nec per ullam dispensationem vinculum solui, & priore viuente, vxor alia super induci possit, rectè sponsalia illi præmittuntur; tum ut matura deliberatione, & præparatione cõtrahatur; tũ impedimenta, si quæ subsint in apertũ proferãtur.

*Sponsalia
cur nuptijs
premittantur.*

II. Sunt autem sponsalia futurarum nuptiarum mutua promissio, quæ per verba futuri temporis vel nudè, & simpliciter contrahuntur, ve etiam iureiurando, annuli, arrhæ aut nummi donatione & acceptatione confirmantur.

*Sponsalia
quid sint.*

III. Mutua autem ista promissio ad desponsandos referri debet, nam etsi parentes pro liberis sponsalia contrahere possint, inualida tamen censentur, nisi liberorum consensus expressus tacitusve accedat.

*Qui sponsalia
contrahant,
qui non.*

IV. Est & illud receptum, ut inter absentes per literas, per nuncium, per procuratorem contrahi possint.

V. Mi-